1. **C**antharides sunt animalia alata parvis scarabaeis similia, coloris virido-aurei. 2. Sunt variæ earum species. Quas enumerauit Aldrovandus lib. 4. de Insectis cap. 4. earumque formas & figuræ exprimit. 3. Inter segetes frequentissimè inveniuntur. Unde & fruges consumere natæ dicuntur. 4. Stabulantur etiam in fraxinis, ac rosis & oleastris, aliisque quam plurimis arboribus. Quarum foliis nutriti perinde, ac Bombyces foliis mori. 5. Cantharides autem generantur ex erucis præsertim fici, & pini. Fiant autem ex hisce omnibus, vermes, & ex vermibus cantharides. 6. Cantharides sunt footidæ, quia generantur ex foetidis erucis. 7. Cantharides si tanguntur, & perterrefiunt, cessant à motu, & intra suas incisuras, abscondunt se, & obdurescunt. 8. Cantharidum venenum est potentissimum. Quo tamen non obstante varius est in medicamentis cantharidum usus.

Cicindela. 1. Est ex scarabeorum genere. 2. Ab aliquibus nuncupatur etiam noctilux vel noctivola. Eo quod noctu volet, & luceat. 3. In variis aliis Idiomatibus, Musca Sancti Joannis vocatur. Eo quod circa tempora festi S. Joannis Baptiste compareat. 4. Cicindelæ, seu noctilucæ sunt incerti generis inter infecta alata, & alis parentia, siquidem aliae sunt alatae, aliae sine alis. 5. Ex erucis quibusdam pilosis ac non magnis sunt Cicindelæ, ut vult Arist. lib. 8. de Histor. Animal. cap. 19. n. 12. Et quidem prius non volantes, quæ deinde mutantur in volantes. 6. Lucent ignium modo noctu. Laterum, & clunium fulgore. 7. Hyemis tempore nullibi apparent. Sunt siquidem frigoris impatientissima, propterea in frigidioribus Regionibus nullibi sunt conspicue. 8. Julius Scaliger autem, & alii, Cicindelas ajunt ex coitu nasci, sicut à fœmella multa ova edi, & ex illis Cicindelas generari. Hoc si ita est, ut ipse id se comprobatum experientia babere afferit: tenerum est, ex iis ovis, quæ parit cicindela, erucam quamdam prius fieri: quam impennem cicindelam, nominat Arist. & ex bac tandem alatam cicindelam gigni, sicut combinabitur utramque sententia. 9. Porro ea, quæ pertinent ad cicindelæ lucem facile explicantur. A nullo tamen Authorum clarius, & patentiùs, quam ab Honorato Fabry, Societatis nostræ eximio prorsus Philosopho. 10. Juxta hunc igitur præclarissimum Authorem cicindelæ volantes, quæ sunt minores, minus lucent, idque quasi alternis scintillationibus. Minus quidem, qui minus quoque de illa lucente materia, cum proportione ad sua corpuscula habent alter-

alternis vero scintillationibus, propter alarum motum, quas modò contrabunt, modò explicant, quas dum explicant, lux illa videtur, dum contrabunt obtegitur. 11. Præterea illarum, quæ non volant, duplex genus est, unum majorum, quæ ad erucas pertinere videntur, aliud minorum, quæ sunt frequentiores; Hæ omnes tamen lucem modicam extremâ alvo habent: quæ in tenebris tantum videtur. Quia de die modica hæc lux obruitur à majore solis & diei luce. Hæc primò lux in cicindelis ab igne est. Nulla sequidem lux est sine igne saltè refracto, qualis est mixtus corporibus. 13. Ille autem ignis in cicindelis, ex collectione subtilissimarum partium ejusdem accenditur. Quæ colliguntur, & præparantur singulari per colatione, vel humoris expressione, ad quod corpus animatum est aptissimum per vitale n calorem. 14. Illa vero materia, quæ in cicindelis lucet, multis quasi pelliculis coagulatis continetur. Nempe ne tam facile resolvatur, vel exhaletur. 15. Et licet perrenni profluvio aliquæ partes illius avolent, aliæ tamen semper succedunt. Quia non sunt aliud, quam excrementum illius succi, quo insectum illud vivit. 16. Hinc lucentem hanc materiam habent in extrema alvo, Quæ quasi projiciuntur, & extruduntur succi illius excrements. 17. Lucem hanc ita moderatur cincidea, ut majorem aliquando, minorem aliæ præferat. Nempe, quia aliquando membranulam illam, quæ lucens hæc materia tegitur, magis aperit, aliquando magis contrahit.

1. Curculio demum est animal parvum, frumentum corrodens: Sic dictum, quasi gurgulio, eo quod nibil in eo penè aliud, quam guttur videatur. 2. Nascitur autem curculio ex ipsomet frumento. Cum scilicet hoc afficitur calore extraneo ac putredinali, ascende humore superfluo. 3. Singula autem genera frumenti, singulares producunt curculiones. Fuxta singulares suarum dispositionum qualitates: ut Hordeum, Fabæ, Lens, Pisum, & cætera legumina.

1. Blattæ, & Tineæ nomina à quibusdam nomenclatoribus ferè pro eodem accipiuntur. Differunt tamen inter se. Nam Aristot. Blattas sic describit: Blattæ sunt vermes quidam, qui alvearia lœdunt, lignuntur in alveariis, & mox alas acquirunt, lib. 5. Histor. Animal. cap. 19. n. 10. De Tineis vero sic scribit: Tineæ generantur in lanis præsertim pulverulentis, lib. 5. Hist. Animal. cap. 32. n. 2. 2. Plinius blattarum ponit tria genera. Ait enim alias esse blattas frumentarias, quas molles vocat, quæ reperiuntur in fassis, & arcis farinaceis, & quibus avidissimè lusciniae vescuntur. Sunt hæ infecta oblonga, & teretia, colore subrubro: Alias pistinas, quæ in molendinis, & pistinis lignuntur colore quidem nigro, sed ob farinam conspersam albicantes: alias demum fœtidas, quæ

in aggeribus terrenis & apricis inveniuntur. 3. Verum nos cum Aristotele in acceptione horum nominum *Blattæ* & *Tineæ* sentimus. Nam, & Calepinus sic illa interpretatur: *Blatta* est vermis, qui alvearia rodit, & *Tinea* est vermiculus, qui ex pulvere ac putredine nascens, vestes aut libros abrodit. 4. Item Plinius pulverem, authorem tinearum putat, & siccitatem; quod ab Aristotele accepit, qui eadem paulo prolixius hunc in modum scribit. Quin etiam aliæ bestiolæ, tum in lanis, & quibuscumque lanificio confectis, ut tineæ, quæ ex lanis pulvérulentis præcipue oriuntur. 5. Uterque autem addit tineas, in lanis & rebus laneis citius oriri, si in iisdem unà araneis includatur, vel in easdem subrepatur. Erationem dant: quia hic, quidquid humoris iis ineit, absorbens, ampliat siccitatem. 6. Cæterum id mirum, quod multi Philosophi naturales tenent: tineas in rebus lineis nullo modo generari, ex eo quod linum non arrodat tinea, cum tamen in charta, quæ ex lino constat, tineæ generentur, librōsque arrodant. 7. Præcipue autem in iis rebus laneis tineæ generantur, quæ sunt ex lanis ovium, quibus necem lupini dentes intulerunt. *Quod ad venenatum quasi morbum luporum est referendum, nam, & pediculi in talium ovium pelibus facilius nascuntur.*

§. XXV.

De Cimicibus, Pediculis, & Pulicibus.

I. DE his quidem agere videtur esse infra dignitatem Philosophi, utpote vilissimis & abominandis animalculis. Ast differere, de his quoque non indecorum sibi putarunt esse maximi nominis Philosophi, uti sunt: Aristoteles, Plinius, Æmilianus, Aldrovandus, Majolus, pluresque alii, præterquam quod maneat illa *maxima à nobis* sepius per decursum omnium harum Dissertationum supposita: Quod nimis, Philosophi munus sit cujuscunque tandem rei naturalis naturam, & proprietates examinare, earumque naturalem causam assignare. Adde quod omne vivens, etiam vilissimum, sit in præstantiori gradu entis, quam quodcumque corpus, etiam nobilissimum, non vivens; adeoque vilissima hæc animalcula in Præstantiori gradu entis, sunt quam ipse sol, & reliquæ stellæ. Si ergo de his differere gloriosum est Philosopho, cur indecorum erit de illis quoque philosophari. Primò igitur in se haec non vescuntur carnibus mortuorum, ut vermes, sed corporum vivorum succo pascuntur. 2. Imò pediculi, ubi homi-

hominis corpus jam tabescere sentiunt, & emori, membráque sensim sanguine & spiritu vitali destitui, vel ipsum deserunt, vel illas corporis partes occupant, quibus sanguis, calórque nativus diutiūs inhæret, 3. Generantur autem pediculi ex carnibus, vel potius sanguine corrupto aut sudore corporum vivorum. 4. Pulices verò generantur ex minore quadam putredine, & fiunt ex sordibus siccis & aridis, tanquam ex materia. 5. Cimices demùm generantur ex halitu, qui ex cute animalis egreditur. 6. Quidam exuberante, eoque putrescente quasi humore abundant, unde quandóque morbum pedicularem contrahunt, quo nonnulli pereunt, & moriuntur. 7. Ex quibusdam etiam aliorum morborum generibus copia pediculorum nascitur. *Quorum scilicet vi, caro vel sanguis, aut sudor viventis corporis magis inficitur. Sed & ex neglecta corporis munditia nasci pediculos communiter neminem latet.* 9. Capita puerorum & mulierum, pediculis magis scatent. *Quia sunt humidiora, quam capita virorum.* 10. Iis, qui pediculis in capite laborant, capita minus dolent. *Quia humores noxi extrahuntur ab his animalculis.* 11. Non solum homines, sed etiam plura animalia laborant pediculis. *Qui tamen differunt, tum inter se, tum à pediculis hominum: oriuntur siquidem pediculi, ex ipsis animalibus, in quibus generantur, igitur pro illorum diversitate sunt diversi.* 12. Imò pediculi, qui nascuntur in capite, non infestant in tantum reliquum corpus; & vicissim, qui nascuntur ex corpore reliquo, caput non infestant in homine. 13. Dantur pediculi, qui dicuntur feri: & hi sunt duriores, atque ita carni adhærent, ut difficile ab ea avelli possint. 14. Pediculi magis generantur in capite humano, quam in reliquis partibus corporis humani. *Quia caput est humidius, propter cerebrum humidum, reliquis partibus corporis humani.* 15. Mutatio aquarum in potu facit, ut generentur plures pediculi. *Quia incoctionem causant.* 16. Hinc qui utuntur pro ordinario haustu aquā, magis obnoxii sunt pediculis. *Ex tali enim potu generatur malus & vitiosus sanguis, qui est materia pediculorum.* 17. Pediculi ex coitu generant quadam, quæ vocantur lentes, & pulices quosdam vermiculos, speciem ovi gerentes. *Sed hæc juxta Aristotelem permanent in suo esse sordium, ita ut ex iis neque fiat animal simile generanti, neque ullum aliud animal.* 18. Non obstante tamen hæc autoritate Aristotelis, negari non poterit, quod tam pediculi, quam pulices generant sibi similia per coitum. *Licet nascantur etiam ex putri.* 19. Vulgo jactatur, à cimicibus contritis, novos exoriri cimices. *Sed id non videtur verisimile Scaligero, & Aldrovando.* 20. Pulices non solum animalia infestant, sed & olera, & fruges arrodunt. *Sed bi pulices sunt alie-*

rius generis. 21. Temporibus frigidioribus languescunt, vel omnino deficiunt: aestivis calidisque, vigent maximè, & infestant, & tunc, cum imminent pluviae, acerbius mordent.

§. XXVI.

De antipathia, & Sympathia Insectorum.

1. Serpentes habent cum homine antipathiam, & vicissim; quam multi Authores putant esse fundatam in mundi primordio, quando Deus serpentem alloquens dixit: Ponam inimicitias inter te, & Mulierem, & inter semen tuum, & semen ejus, ipsa conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus. Genesis cap. 3. 2. Plinius scribit: inter serpentem & hominis jejuni sputum, tantam antipathiam esse, ut ab hoc tanquam à ferventi aqua abhorreat. Serpens si quidem frigidæ ac siccæ est temperaturæ, homo autem calido, & humidu[m] præditus est temperamento. 3. Circa Helespontum genus hominum fuisse scribunt Authores, quos Ophiogenes, seu Anguineos nominant, qui serpentum ictus solo tactu sanabant, & manu super patientem impedita venenum à corporibus extrahebant. Ob singularem scilicet antipathiam. 4. Serpentes antipathiam habent etiam cum Aquilis. Hinc aquilæ ostidim lapidem in nidum deferre solent, ne illis serpentes appropinquare possint. 5. Intercedit quoque antipathia inter serpentes & pavones, uti & ciconias. Pavo enim clamore suo perterrefacit, & cuncta venenata animalia depellit. Ciconia autem eosdem interimit. 6. Cervi, ut etiam Elephanti, serpentes è cavernis halitu attrahunt, & devorant, & his conspicatis serpentes se ad cavernas conferunt, eoque fugiunt. 7. Sympathiam verò habent serpentes cum vulpibus, unde in cryptis sèpè simul degunt. Item cum anguillis, Ob similitudinem formæ, & naturæ. Item cum felibus & muribus, cum quibus interdum collidunt. 8. Viperæ muribus sunt invisa, unde si hi viperæ sibilum audiant, masculos à propriis cavernis statim aliò transferunt. 9. Est quoque magnum dissidium inter viperam, & ossifragam aquilam, uti & terrestrem testudinem. Cum his enim sèpius viperæ pugnant: & haec contra viperæ venenum antidoto se muniunt, ossifraga quidem herba quadam simili soncho, testudo verò rutâ vel origano. 10. Vespas aversantur apes, quæ contra easdem se defendunt, & à suo examine secernunt. 11. Noctua quoque vespis est inimica. 12. Vespæ viperis sunt tam malignæ, ut in illas veneno infectum aculeum dimittant, quo dein multò per-

nicio-

niciosiores ictus faciant. 13. Sunt, qui adeò à cicada sibi cuculum timere putent, ut nunquam cantet, ubi illa fritinnit. 14. Locustæ teste Aristotele contra serpentes pugnant, collumque illorum seu fauces apprehendentes eosdem necant. 15. Apibus inimica est formica. 16. Easdem nonnulli Elephanti metui esse dicunt, ne scilicet eorumdem promuscidem subeant. 17. Scorpius, & crocodilus genuino se odio prosequitur, simûque, ubi alter alterum conspexerit, in multa funera rapiuntur. 18. Si scorpiones stellionem intueantur, solo aspectu illius immobiles, ac demum mortui redduntur. 19. Theophrastes ait: Scorpionum ictu serpentes interire, homines non item. 20. Idem Theophrastes scribit, quod cum quidam scorpionem cum vipera in eadem phiala inclusisset, invenerit mutuo se ictu interemisse. 21. Hoc quoque mirum, quod cum sol in cancro est, serpentes istibus scorpionum torqueantur, ut tradit Plinius lib. 8. Histor. c. 29. 22. Torpescunt scorpiones aconiti tactu, stupentque pallentes, & vincit se confitentur, ut scribit idem Plinius lib. 22. cap. 2. 23. Aranei nulli animantium sunt concordes, nec inter se quidem; quin & aliquod araneorum genus est, quod adeò vel ipsos parentes oderit, ut etiam ipsos necet. 24. Nullum est animal in hoc terrarum orbe, quod Basiliscum innato odio non prosequatur.

§. XXVII.

De variis Vermium generibus.

1. **V**ermis dicitur à vertendo, aut verrendo teste Isidoro, quasi vertens, & verrens. Quia in multis partibus se vertit ac torquet, dum repit, vel quia verrit, idest, ut idem exponit, ad partes oppositas se trahit. 2. Vermium varia sunt genera. Differunt enim inter se magnitudine. Sunt enim alii parvi & minuti, alii magnitudine medi, alii longissimi. 3. Differunt præterea inter se coloribus, idque vel in toto corpore, vel in aliqua ejus parte. 4. Alii rufus sunt caudati, alii sine caudis: alii item pilosi, & hirsuti, alii paucos, aut nulos pilos habentes. 5. Differunt præterea inter se secundum materiæ diversitatem. Nascuntur siquidem alii in animalibus tum vivis, tum etiama mortuis; alii in stirpibus, & plantis; alii in fossilibus aut lapidibus & metallis; alii in meteoris. 6. Alii item tun sine pedibus, alii pedes multos habentes; alii terrestres, alii aquatici. 7. Vermes nonnisi iis aunter, è quibus enati sunt. Ut animalium animalibus; stirpium stirpibus; meteororum, meteoris

corporibus. 8. Sensus, tactus, & gustus omnibus inest. Percepto enim sonitu latescunt, & sapores optimè discernunt, amara enim & falsa refugiunt, dulcia verò appetunt, & sugunt. 9. Materia omnium vermium est putredo. Atque hæc oritur ob humoris nimiam ubertatem, quæ calorem, cuiusque materia, puta animalium, plantarum, aquæ, aut terra opprimit. 10. Calida, & humida intemperies maximè generandis vermbus idonea est. Quo fit ut astivis temporibus, aurâque subtepidâ vermes facilius generentur. 11. Nulli vermes ab aliis vermbus per coitum generantur. Sed omnes ex putri materia. 12. Nati autem vermes per se augentur, principio enim parvi, mox grandiores evadunt. 13. Nasci vermes etiam in hominibus adhuc vivis certum est, non tamen in omnibus ejusdem partibus. Sic Lumbrici nascuntur in intestinis: nascuntur subinde vermes etiam in cerebro: in auribus item & sub lingua: nec dentes ab hoc malo immunes sunt: in pulmone item, & aspera arteria. 14. Possunt tamen, & in alia quavis parte corporis humani vermes generari. Accedente scilicet tumore aut ulcere. 15. Vermes non solum in homine, sed & in aliis animalibus producuntur. In quadrupedibus quidem, ut equo, asino, porco, cervo, capra, ove, cane, lupo; in avibus, ut accipitre, pullis sturnorum & quibusdam domesticis: in piscibus, ut mullo; in insectis ipsis, ut araneis, locustis. 16. Nascuntur etiam vermes ex fimo, ex sterquilinio, uti & alia multa insecta. Ut habetur experientia. 17. In plantis quoque omnibus, ut herbis, fructibus, arboribus sunt vermes, quos generant. 18. Nec certam definitamque partem habent plantæ, ex qua suos vermes generant, sed quandoque ex variis partibus earum ii oriuntur. Omnes autem hi vermes differunt plurimum inter se: alii ex semine, fructu, radice, foliis, floribus potius oriuntur, quam ex caule truncoque. 19. In radicibus autem arborum natus vermis maximè perniciosus est illis. Arbor enim quantacunque sit, & hæc floreat, fructusque proferat, si vermis in radice lateat, indubie exarescit, vel, si non exarescit, amarorem quemdam per omnes fructus, & ramos diffundit per ipsa fructuum semina. 20. In frugum quoque radicibus, ut hordei, & avenæ, nascuntur vermiculi. 21. Sentiunt etiam semina vermiculos, ut fabæ, & milii; inter frumenta autem maximè tritici, atque ciceris. 22. Avellanæ quoque fructus vermem patitur, qui nucleum consumit, & corticem pertrudit. 23. In spinosis quoque herbarum fructibus cernuntur vermes, siue aperi lanuginosique. 24. Etiam in seminibus aceribus, & acerbis, ut nasturci, porri, sinapi, & similibus nasci vermes testatur Theophrastus. 25. Existimant tamen aliqui immunes es-

se à vermis, salviam, buglossum, borraginem, & alias quasdam herbas. 26. Similiter cucurbita, quamvis turgeat, nullos tamen vermes patitur. 27. Mirum autem est, & in absinthio certos vermes nasci, cùm id sit amarissimum, oportunumque remedium arcedæ putredini. 28. Frequentius autem in iis rebus fit vermiculatio, quæ dulci abundant succo. *Talis enim succus cùm sit calidus, & humidus ex propria natura, præstat aptam materiam vermiculationi.* 29. Sunt etiam vermes Teredi dicti, qui lina terunt, & corrodunt. 30. Sunt itidem etiam Lumbrici terrestres. Hi sunt in corpore humano nascentibus similes magnitudine, colore subalbo, & interdum sanguineo, qui pluviis cadentibus subito è terra prodire solent. 31. Alii item Ascarides dicti, vermes parvi, nec unius, & ejusdem coloris, qui reperiuntur sèpè multi in unum aliquem locum congregati. Hi vel maximè segetes devastant. 32. Reperiuntur etiam vermiculi in terra cœnosa. *Quia putredo aquæ est materia opportunissima ad eorundem generationem.* 33. Sunt qui affirmant, & è medio lapidum quorundam, ex quibus calx uritur, nasci animalia diversarum specierum, itemque vermes denso pilo, multisque pedibus. 24. In ipsis quoque saxis, & metallis reperiuntur quandóque vermium instar insecta, quamvis id accidat rarissimè. 35. Sed quod mirum videtur, etiam in nivibus vetustis diurno tempore permanentibus (uti accidere solet in altissimis aliis) generantur certi vermes, quos Theophanes Oripas vocat. *Cujus rei Julius Cæsar Scaliger, banc causam assignat: quod in nivibus multum est aëris, & spiritus, qui postea calefactus hos generat.* Est enim inquit, ea nivis natura, ut terram etiam impinguet, & lutum ex ea fiat.

§. XXVIII.

Usus Insectorum in Medicinis.

1. **O**leum de Serpentibus modo Medicis noto præparatum remedium est podagræ. 2. Cineribus serpentis strumæ curantur.
3. Jecur serpentis (teste Plinio) si quis degustaverit, deinceps à nullo serpente lædetur. 4. Facies sanguine serpentis peruncta nullam dicitur contrahere maculatn. 5. Carnes anguium lepræ medentur. 6. Easdem carnes ad vulnera, & incisos nervos sanandos admodum conferre testatur Joannes à Porta. 7. Senectam anguium combustam, & illitam ad decorem pilorum conducere Galenus autumat. 8. Eadem membrana anguium, sed melius viperarum, utilis est ad hebetum

dinem visus, & suffusionem oculorum tollendam, ut tradit Cardanus. 9. Fel testudinum cum senecta anguum & aceto, purulentis aribus prodesse aliqui Medici opinantur. 10. *Archigenes* apud Galenum senectam anguum, cum capitibus papaveris in oleo coctam auri dolore vexatae, infundere docet. 11. Eandem senectam anguum cum masculo cancro tritam morsibus canis rabidi imponendam suadet Plinius. 12. Major adhuc est usus in medicinis viperarum; nam, ut ait Aldrovandus, nulla est pars hujus bestiolæ, etiam minima, quæ usui Medicorum non famuletur. 13. Inchoando igitur à capite asseverat *Viperius*, caput viperæ collo appensum adversus gutturis affectiones efficax celebrari. 14. Cerebrum ejusdem in pellicula ligatum dentitiones ex Plinio adjuvare perhibetur. 15. Sunt qui dentem viperinum in usu medico commendent, quod hoc dente tactus, nulla imposturum venena formidare feratur. 16. Jecur viperæ coctum magno usui illis futurum arbitratur Plinius, qui morsus serpentum timent. 17. Exta viperina (juxta Plinium) imposita cuique vulneri serpentino, quamvis insanibili, illud perianant. 18. Ossa ejusdem bestiæ in purpurea sindone ligata si deferantur, omnem effectum venenosum superrant. 19. Carnes viperinæ ad multas affectiones conducunt, & easdem *Diocorides* ad propagandam vitam & arcendam senectutem commendat. 20. *Cardanus* non solum Elephantiacos, sed etiam phthisicos, & lue gallica laborantes viperis sanabat. 21. Ex qua ratione aliqui carnibus viperinis gallinas, & capones saginant, atque his sic sagina is utiliter in conficiendis medicinis utuntur. 22. Demum in conficienda Theriaca caro viperina primum quasi locum obtinet. 23. Si corpus colubri totum in olla includatur luto probè circumlita, & in igne ex sarcementis virium excitato, cremetur, pulveres hos seu cineres oleo permixtos, ad dissolvendas strumas magnificat *Sylvius*. 24. Lapis, qui in angue subinde invenitur, in desiccandis humiditatibus superfluis mira depraedatur à Medicis. Quocirca tanquam summum praefidum commendatur in Hydrope. 25. Fit ex vespis aqua, quæ mira habet virtutes, facie do tumores absque dolore. 26. Erucae olerum, cum oleo inuratae, tutos à *Virulentia Animalium* dicuntur conservare. 27. Eadem oleo mixta, authore *Livioride* fugant serpentes. 28. Bombycum sericum combustum putrida vulnera mundare, ac corroborare, item cum sale ustum dentium rubiginem curare, tradit *Vincentius*. 29. Idem sericum maxime aceto tintatum in vulneribus capitatis duræ matre applicatum, cerebrum corroborat, & à putredine tueretur. 30. Cicadæ testæ pro cibo datæ, vel aridae tritæ cum aqua, vesicæ

sicæ doloribus profunt. 31. Pro morbo Comitali curando viginti mu-
scas rufas, & quidem mortuas, infirmioribus verò pauciores in potu
dandas præscribit Plinius. 32. Idem Plinius tradit lib. 10. cap. 8. pe-
des locustarum cum sevo hircino lepras sanare, ipsa verò habet vir-
tutem pellendi calculum. 33. *Dioscorides* testatur Locustam siccatam,
si ex vino bibatur, contra scorpionis morsus magnopere juvare. 34.
Sunt, qui afferunt locustam collo appentam liberare hominem à quar-
tana. 35. Scarabæum aurium doloribus prodesse, si oleum, in quo
efferbuit, auribus instilletur, ait Galenus. 36. Cantharidum usus a-
pud Medicos contra varicos morbos est prorsus frequentissimus. 37.
Adhibentur itaque imprimis ad ulcera maturanda aperiendaque. 38.
In pulveres tritæ, sanguinéque hircino mixtæ, & in vino sumptæ,
intumenti corpori sunt utilissimæ. 39. *Hippocrates* ad Hydropicos cu-
randos præscribit tres Cantharides, demptis alis, capitibus, ac pedi-
bus, in cyathis aquæ tribus tritas. 40. Eadem brachio ac scapulis
appositæ urinam potenter procreant. 41. Sanant quoque albas faciei
pustulas cum aceto illitæ, uti, & scabiem, & carcinomata cum oleo
coctæ. 42. Blattarum (ut docet *Dioscorides*) quæ in pannificiis, pi-
strinisque versantur, interanea exempta contritæque cum oleo, dolo-
ribus aurium medentur. 43. Formicæ alatae potissimum contritæ ad-
jecto sale exiguo, lepras & lentigines sanant. 44. Scorpionum cinis
in pane sumptus ad calculos pellendos utilis esse traditur. 45. Oleum
è Scorpionibus lapidem, & verum calculum frangit. 46. Ejusdem
olei mirabilis effectus est contra venena, & præcipue serpentum, &
aliorum venenatorum animalium. 47. Præstat idem oleum cum in ho-
mines pestilentia sævit; quippe quod non modo peste infectos juvet,
sed & sanos præserves. 48. Quod si quis scorpiones attritos ex vi-
no vel mulso sumat, qui regio morbo laborat, quamprimum teste Ga-
leno liberabitur. 49. Testatur Galenus scorpium convenire quoque
putari iis, qui à vipera demorsi sunt. 50. Item in Podagricis cum a-
ceto rosaceo impositos, eorum inflammations levare. 51. Araneus
subactus *Splenio*, & illitus linteo, & sic fronti vel temporibus alliga-
tus tertianam febrim sanat, ita *Dioscorides*. 52. Est item quædam a-
ranea longa, & candida, tenues habens pedes, quæ si contrita fuerit
in veteri olivarum oleo, rubuginem solvit oculorum. 53. Tela ara-
nearum valet ad summæ cutis vulnera, si eidem imponatur, uti vul-
go notum est. 54. Tela insuper aranei præsertim candida, & pura,
vim constipandi habet, uti, & refrigerandi. 55. Recentibus item
vulneribus apposita à sanie ea præservat: maculas adhuc recentes ab-
stergit,

stergit, inflammationem vulneris, quæ illud ad sanitatem pervenire non sinit, fieri prohibet. 56. Eadem admixta quibusdam unguentis, & temporibus imposita, febres curat. 57. Cum oleo instillata in aures, dolorem ejus sedat. 58. Cantharides telâ aranearum involutæ, & quartanâ febri laboranti suspensa, eum perfectè traduntur libera-
re. 59. Vermes roborum, combusti cum pari pondere anisi, & oleo illiti ulcera omnia sanant. 60. Vermium terrenorum cinis, si oleum ei admisceatur, præstat ne capilli canescant. 61. Morbo quoque regio resistunt vermes terreni, in aceto vel mulso cum myrrha poti, teste Plinio lib. 30. cap. 11. Sed de his plura Medici, & signanter Aldrovandus in Tomis de Serpentibus, & Draconibus, ac Insectis.

§. XXXIX.

Variae circa Insecta curiosæ Quæstiones.

1. Quærunt Theologi, cur Diabolus Evam ad peccatum incitans potius Serpentis, quam Columbae formam induerit? &c. Quia Spiritus Sanctus, specie Columbae apparitus erat, unde DEUS hanc formam homini suspectam & odiosam reddere noluit. 2. Quæri potest. Qualis fuit serpens, qui Evam tentavit in Paradiso? &c. Fuisse verum & naturalem serpentem, in quem tamen sese Diabolus insinuavit, & per eum, quasi per organum suum, formavit humanas voces. 3. Quæri potest. Cur Eva non exhorruerit ad congressum serpentis? &c. Quia in statu innocentiae omnia Animalia placide atque obedienter fuerunt homini subjecta, & sicut nihil mali poterant inferre homini, ita nec ullum timorem aut horrorem ullum incutere. 4. Quæri potest. Cur saltēm non obstupuerit Eva audiens secum loquentem & disputantem serpentem? &c. Quia cūm Eva novisset serpentem à DEO creatum, ipsum quoque officium loquendi à DEO accepisse putavit. 5. Quæri potest. Utrum Maledictio serpentis ad verum serpentem, an ad Diabolum sit? &c. Maledictionem illam secundūm Historicum sensum ad verum serpentem pertinuisse; secundūm verò sensum Mysticum ad ipsum Diabolum, tanquam Authorem illius sceleris. 6. Quæri potest. Cur DEUS maledixerit serpenti, licet is nihil peccasset? &c. DEUM maledixisse serpenti, quia fuit instrumentum ejusdem sceleris; cuius causa principalis fuit Diabolus. 7. Quæri potest. Qualisnam fuerit ille serpens, quem Moyses in Deserto exaltavit? ut habetur in Sacris Literis Numerorum cap. 20. &c. Non fuisse verum serpentem, sed ad simi-

De noxiis Animalibus Oeconomice.

similitudinem serpentis ex ære fabrefactum, quem intuentes, ab istibus serpentum ignitorum læsi sanabantur; Mysticè enim significabat Christum Salvatorem Crucis affixum, qui vulnera nostra sanavit, & contemplatione suæ Passionis nos à peccatis curat. 8 Quæri potest. Qualesnam fuerint serpentes illi igniti, quos DEUS in Populum Israëliticum immisit, contra Moysem murmurantem? ¶ Fuisse quidem veros serpentes, ignitos autem ex eo dictos, vel quia erant rubei coloris, qui ad instar ignis rutilabat; vel ob exquisitum doloris sensum, nam corpora ad eorum ictus, contractâ febri, maximâ inflammatione corripiebantur; vel quia igneas spirabant scintillas. 9 Quæri potest. Utrum serpentes illi, in quos virgæ Magorum, incantationibus Ægyptiorum coram Pharaone, fuerunt transmutatae, veri ac naturales serpentes fuerint? ¶ Veros ac naturales serpentes fuisse. Scriptura siquidem narrat, iisdem verbis, eodemque modo Virgæ Moysis & Virgas Magorum in serpentes mutatas fuisse. Atqui Virga Moysis mutata est in verū serpentē. Ergo. 10. Quæri potest. Quâ ratione dicti serpentes à Magis produci potuerant? ¶ Fieri id potuisse, ut Dæmones, non advertentibus spectantibus, virgas à magis projectas, statim à conspectu eorū clangulū auferrent, & pro illis angues antè paratos, vel aliunde delatos oculis eorundem subjecerent, ita ut virgæ in serpentes transmutatae viderentur. 11. Quæri potest. Cur Salvator nos monet, ut simus prudentes sicut serpentes? Matth. 10. ¶ Quia ut S. Chrysostomus Hom. 34. in Matthæu scribit: Sicut serpens, si in manus venatorū inciderit, aut etiam vulneribus fauciatus fuerit, capite tamen servato, vulnera illa parvi pendit; ita Christicola etiam, omnibus pereuntibus, caput seu fidem conservare & tueri debent. 12. Quæri potest. Utrum serpentes solis incantationibus comprehendendi & necari possint? ¶ Asfûrmant id non pauci, nixi potissimum variis Poëtarum authoritatibus. & priscâ populi opinione. Antiquitas enim opinata est cantationibus, & verbis incantatorum, angues evocari ex cavernis, & ita inflari, ut tandem disrumperentur & dissilirent. Verum hæc pro anili fabula habenda sunt. Verba siquidem nihil aliud sunt, quam voces lingua, palato & dentibus ac labiis prolatæ, & ex aëre reverberatae: quæ nullam corporibus impressionem facere possunt, adeoque nec ullam in illis alterationem vel immutationem. Si igitur ad similes incantationes aliquis effectus sequatur, id per magiam fieri necesse est: Dæmon siquidem, ut homines ad superstitionem inducat, ad similia lubens cooperatur. 13. Quæri potest. Quomodo igitur intelligenda sunt verba illa Scripturæ sacræ: Furor illis secundum similitudinem serpentis sicut aspidis furdæ, & obturantis cures suas, quæ non audiet vocem incantationum, & beneficij incantantis sapienter? ¶ det S. Augustinus in Pialnum 57. Hunc locum intelligendum esse, ut incantationes (ta. quam res

res superstitiones) damnarentur, & similitudines nos erudiant. Non enim (inquit) omnia, quae in Scripturis & sacris Literis ad aliquam similitudinem commemorata sunt, semper approbantur, sed ita accommodanda sunt, ut earum similitudinibus erudiamur. 14. Quæri potest. Cur serpentes, reliquo corpore quiescente, caput in partem posteriorem vertere possint? &c. Quia structura volubili constant & ex vertebris cartilaginosis & flexilibus integrantur, quas natura iisdem tribuit, ut noxia vitare possint; nam ali⁹ ob longum corpus, & defectum pedum, inepti sunt ad se convertendum; sola vero erectio capitis nihil utilitatis illis adferret, nisi illud convertere possent. 15. Quæri potest. Cur linguæ serpentum sint venenosæ. &c. Quia sunt poris refertæ, per quos malitia humoris venenati, in animali prædominantis, inde facilè egreditur. 16. Quæri potest. Cur morsus serpentum & maximè anguum sit venenosus? &c. Quia per irā, in iis bilis subtilissima & simul venenosissima per totum corpus diffunditur, consequenter & ad dentes penetrat, siveque in morsu relinquitur. 17. Quæri potest. Cur partes corporis demorsæ ab anguis intumescant? &c. Quia cum bilis anguum sit calidissima, & subtilissima, celerrimè partes corporis penetrat, & quascunque humiditates invenerit, omnes in crassos & venenatos vapores convertit. 18. Quæri potest. Cur serpentes frigidâ aquâ aspersi illico fugiant? &c. Quia cum sint animalia frigida temperie prædicta, extrinsecum frigus superadiuntur; hinc hieme latibula querunt, & oriente sole ex suis cavernis producent, rursusque eo occidente se occultant. 19. Quæri potest. Utrum verum sit, quod partus viperarum, matrem interimant? &c. Id ordinariè non fieri: verum quidē est, quod viperæ prius ova unius coloris & mollia instar ovorum piscium concipiatur, deinde fœtum in utero excludat; sed si partus fiat mature & debito tempore, partus viperarum sit sine earum lassione; si vero præmaturæ viperulæ ex utero matris erumpant accidit, ut in partu matrē interimant. 20. Quæri potest. Quâ virtute, & vi serpentes à cervis ex suis cavernis extrahantur. Tradit enim *Isidorus*, & cum eo alii rerū Naturaliū Scriptores, quod cervi statim atque aliquâ ægritudine premuntur, latebras serpentum inquirant, iisque spiritu narium attractis pro palato utantur, & sic pristinæ sanitati restituantur? &c. Aliquos existimare, quod cervi narium spiritu serpentes attrahant à cavernis, quemadmodum Magnes ferrum, & Succinum paleas. Alii vero ajunt serpentes à cervo non flatu latibulū ingrediente, sed potius aërem cavernæ, quoad fieri potest exhaustiente protrahi, ita, ut serpens sequatur aërem, non secus ac vinum & aqua attracto aëre ascendit per fistulam. 21. Quæri potest. Quis a sit verus modus generationis Apum? &c. Quæstionem hanc esse solutam Dissertatione præcedente §. IV. sicut & alia de earum melie §. V. 22. Quæri tamen adhuc præ-

De noxiis Animalibus Oeconomiae.

præterea posset. Cur apes longissimè vivere dicantur? *N.* Hanc longi uidem vitæ apum esse solum respectivam, respectu aliorum Ins. etorum. nam apum vita, juxta Arist. lib. Histor. Animal. cap. 22. est duntaxat sex aut septem annorum, vel ad summum decem, siquidem decimo intentonis anno, gens universa (ut ait Columella) unius alvearis consu itur. Cur autem diutiùs vivant, quam alia animalia, ratio est. Quia id, quod in illis sanguini proportionaliter respondet, pingue est & dulce. Dulcedo porrò est calida, calidum autem in pinguedine & lentore diutiùs continueri & perseverare potest. 23. Quæri potest. Cur mel apum, ulceribus horridis & resiccatis sit acre, cum tamen gustui dulce sentiatur? *R.* Quia mel tenuitate suâ horrida & resiccatâ ulcera subintrat, & acriter morsicat; gustus verd, cum sit humidus, svariüs lenitatem ejusdem mellis percipit. 24. Quæri potest. Cur mel morbo regio laborantibus videtur & est amarum? *R.* Quia lingua eorundem bile amarâ redundant. 25. Quæri potest. Cur mel, quod recentius, vinum verd quod vetustius, melius sit? *R.* Quia natura mellis naturæ est arida, vinum verd humidæ; quod inde patet, quoniam Medici, quæ humectanda sunt, vino fovent, quæ exsiccanda, melle liniunt. Jam verd humor vini diuturnitate temporis cruditatem suam evaporat, sique fit maturius & melius: mel verd diuturnitate temporis magis arescit, vigorēnque suum deperdit, sique fit deterius. 26. Quæri potest. Utrum Bombyces, & serici ex iis conficiendi ratio, veteribus Romanis & Græcis fuerint ignota? *R.* affirmative. Quod vel inde patet, quod nec Aristoteles, nec Plinius summi rerum Naturalium Indagatores Veram Bombycum & serici dederint descriptionem, esto prior faciat aliquam eorum mentionem lib. 5. Histor. Animal. cap. 10. n. 89. Unde meritò Zonaras scribit Bombycem, & rationem serici, ante tempora Justiniani Imperatoris Romanis fuisse incognitam. Primus autem qui sericum Romanum detulit, fuit Serus, à quo hoc Bombycum opus sericum denominatum est. Prima autem telas texuisse ex Bombycum opere, in Insula Coa, dicitur Pamphilia Lalo filia. Primus vero qui sericâ ueste usus est apud Romanos fuit M. Aurelianus Antoninus Romanorum Imperator. 27. Quæri potest. Cur Cicadæ cantum suum æstate mediâ primâ incipiunt? *R.* Quia naturâ suâ valde frigidæ sunt; unde post æstivum Solstitium canendi initium faciunt, nec nisi orto sole strepunt, ipsoque meridie maximè canoræ sunt. 28. Quæri potest. Cur DEUS, Muscas, Culices, Vespas, & alia animalia pungentia, & noxia creaverit? *R.* S. Augustinus lib. 1. contra Manichæos cap. 16. fatetur se nescire cur musca & ranæ creatæ sint à DEO, aut vermiculi, videri tamen omnia in suo genere esse pulchra, quamvis propter peccata nostra, multa videantur nobis adverba; sufficit nobis scire,

Dissertatio Physico - Oeconomica.

quod omnia in mensura, numero, & ordine sint creata à DEO. & quod nullum animal sit tam vile, quod non ad utilitatem hominis, vel spiritualem vel corporalem, à DEO conditum sit. 29. Quæri potest. Cur culices non omnes æqualiter mordeant, imò quosdam nec attingant; muscæ vero sine discrimine omnia, cùm homines, tum bruta impetant & affligant? 30. Quia cùm, duce odoratu, bruta & infecta etiam pascantur naturæ & inclinationi suæ proportionato alimento, sit ut culex gaudet acidis (quod vel inde patet, quod fructus non attingat, priusquam corruptione acrorem contrahant) ideo, quibus sanguis est purus & minimè putridus, culices non infestant. Musca verò, cùm sit animal omnivorum, promiscuè omnia infestat, licet dulcibus maximè delectetur. 30. Quæri potest. Quales fuerant Locustæ illæ, quibus S. Joannes Baptista vescebatur? Ut legitur apud SS. Matthæum & Lucam cap. 3. & apud S. Marcum cap. 1. 31. Licet alii putent nomine Locustarū hic intelligendas esse herbas, eo nomine nuncupatas, ut testatur Brocardus in descriptione Terræ Sanctæ, quibus vesci Monachos ad Jordanē se vidisse ait; alii autem affirment fuisse piscē Mariū hujus nominis; vero similius tamen est, fuisse locustas communes, quibus satitis vel tostis vel elixis, vel in polliginem redactis, multarum Regionū populi vescuntur & præsertim pauperes. Certè Levitici 11. ¶ 22. Locustæ inter mundas volucres numerantur, quod signū est, in usu cibi locustas fuisse. 31. Quæri potest. Qualenā fuerit Mel illud sylvestre, quo victitabat S. Joannes Baptista? 32. Sunt qui putant fuisse siliquas mellei saporis certarū arborū, quarum ingens est copia in Montanis Judææ, & etiā nunc vocantur multis Nationibus Panis S. Joannis. Sed apud nos in Hungaria hoc nomine certa radices, pariter mellei saporis, appellantur. Certius tamē est mel illud sylvestre, seu agreste, fuisse verū mel, quod tamē ab agrestibus apibus conficiebatur; notum siquidē est, in aliquibus Regionibus, præsertim calidioribus, tantā copiā esse apum, ut, cùm alvearibus contineri non possint, in sylvas avolent, & aut in cavitate arborū, aut in rupiū tressuris mellifcent. Quod de Palæstina maximè credendum est, & quia calida, & fertilis, & quia Scriptura sacra sæpè eam vocat, terrā melle ac lacte manantē. 32. Quæri potest. Unde illud in ordine ad formicas adagiu: Triticum in cæno serito, bordeūmq; in pulvere? 33. Quia si in sicco seratur triticū, formicæ ejusdem granis statim insidiantur, hordei autem granis non ita, quia non tam facilè ea portare ac deferre possunt, cùm sint grandiuscula. Quæri potest ultimo Cur Aranea in mediis casibus, seu retibus, excubare consuevit? 34. Quia, cùm illa sita, qua ex centro ad peripheriā ducuntur, æqualia sint, aranea in medio seu centro consistens, pedibusque tenens filorū exordia, facilè undique persentire potest, si quæ in plagas temerè bestiola convolavit.

Valde utilis Servorum Solutionis, Arentiae, & Oeconomicæ Acceptio[n]is, & Expositionis Tabella.

| Summa pro
1. Anno | Pro tribus
partibus Anni. | Pro medio
Anno. | Pro 1. Parte
Anni. | Pro uno
Mense. | Pro una
Septimana. | Pro uno
Die. | | | | | | | |
|----------------------|------------------------------|--------------------|-----------------------|-------------------|-----------------------|-----------------|-----|-----|----|-----|------|----|------------------|
| Floreni. | H. | xr. | d. | fl. | xr. | d. | fl. | xr. | d. | fl. | xr. | d. | |
| 500 | | 375 | | 250 | | 125 | | 41 | 40 | 10 | 25 | I | 29 $\frac{1}{2}$ |
| 400 | | 300 | | 200 | | 100 | | 33 | 20 | 8 | 20 | I | 11 $\frac{1}{2}$ |
| 300 | | 225 | | 150 | | 75 | | 25 | | 6 | 15 | | 53 $\frac{2}{7}$ |
| 200 | | 150 | | 100 | | 50 | | 16 | 40 | 4 | 10 | | 35 $\frac{2}{3}$ |
| 100 | | 75 | | 50 | | 25 | | 8 | 20 | 2 | 5 | | 17 $\frac{3}{7}$ |
| 90 | | 67 30 | | 45 | | 22 | 30 | 7 | 30 | I | 52 2 | | 16 $\frac{3}{4}$ |
| 80 | | 60 | | 40 | | 20 | | 6 | 40 | I | 40 | | 14 $\frac{1}{2}$ |
| 70 | | 52 30 | | 35 | | 17 | 30 | 5 | 50 | I | 27 2 | | 12 2 |
| 60 | | 45 | | 30 | | 15 | | 5 | | I | 15 | | 10 $\frac{2}{3}$ |
| 50 | | 37 30 | | 25 | | 12 | 30 | 4 | 10 | I | 2 2 | | 8 $\frac{3}{4}$ |
| 40 | | 30 | | 20 | | 10 | | 3 | 20 | | 50 | | 7 $\frac{4}{7}$ |
| 30 | | 22 30 | | 15 | | 7 | 30 | 2 | 30 | | 37 2 | | 5 $\frac{1}{2}$ |
| 26 | | 19 30 | | 13 | | 6 | 30 | 2 | 10 | | 32 2 | | 4 $\frac{2}{3}$ |
| | | 18 | | 12 | | 6 | | 2 | | | 30 | | 4 $\frac{1}{2}$ |
| | | 15 | | 10 | | 5 | | I | 40 | | 25 | | 3 $\frac{2}{3}$ |
| | | 13 30 | | 9 | | 4 | 30 | I | 30 | | 22 2 | | 3 $\frac{1}{4}$ |
| | | 12 | | 8 | | 4 | | I | 20 | | 20 | | 2 $\frac{3}{4}$ |
| | | 10 30 | | 7 | | 3 | 30 | I | 10 | | 17 2 | | 2 $\frac{2}{3}$ |
| | | 7 30 | | 5 | | 2 | 30 | | 50 | | 12 2 | | I $\frac{3}{7}$ |
| 9 | | 6 45 | | 4 30 | | 2 | 15 | | 45 | | II 1 | | 2 $\frac{2}{3}$ |
| 8 | | 6 | | 4 | | 2 | | | 40 | | 10 | | I $\frac{1}{2}$ |
| 7 | | 5 15 | | 3 30 | | I | 45 | | 35 | | 8 3 | | I 1 |
| 6 | | 4 30 | | 3 | | I | 30 | | 30 | | 7 2 | | I $\frac{1}{7}$ |
| 5 | | 3 45 | | 2 30 | | I | 15 | | 25 | | 6 1 | | 3 $\frac{4}{7}$ |
| 4 | | 3 | | 2 | | I | | | 20 | | 5 | | 2 $\frac{4}{7}$ |
| 3 | | 2 15 | | I 30 | | | 45 | | 15 | | 3 3 | | 2 $\frac{2}{3}$ |
| 2 | | 1 30 | | I | | | 30 | | 10 | | 2 2 | | I $\frac{1}{2}$ |
| 1 | | 45 | | 30 | | | 15 | | 5 | | I 1 | | $\frac{1}{7}$ |

Tabella Censūs in 5. præstanti à 100.

| Summa
Capitalis.
Floreni. | Summa pro
1. Anno. | | | Pro uno
menfe. | | | Pro medio
menfe. | | | Pro una
Septimana. | | | Pro uno
Die. | | |
|---------------------------------|-----------------------|-----|----|-------------------|-----|----|---------------------|-----|----------------|-----------------------|-----|----------------|-----------------|-----|----------------|
| | fl. | xr. | d. | fl. | xr. | d. | fl. | xr. | d. | fl. | xr. | d. | fl. | xr. | d. |
| 1000 | 50 | | | 4 | 10 | | 2 | 5 | | 1 | 2 | 2 | 8 | 3 | $\frac{1}{2}$ |
| 900 | 45 | | | 3 | 45 | | 1 | 52 | 2 | | 56 | 1 | 8 | | $\frac{1}{2}$ |
| 800 | 40 | | | 3 | 20 | | 1 | 40 | | | 50 | | 7 | | $\frac{1}{2}$ |
| 700 | 35 | | | 2 | 55 | | 1 | 27 | 2 | | 43 | 3 | 6 | | 1 |
| 600 | 30 | | | 2 | 30 | | 1 | 15 | | | 37 | 2 | 5 | | $\frac{1}{2}$ |
| 500 | 25 | | | 2 | 5 | | 1 | 2 | 2 | | 31 | 1 | 4 | | $\frac{1}{2}$ |
| 400 | 20 | | | 1 | 40 | | | 50 | | | 25 | | 3 | | $2\frac{1}{2}$ |
| 300 | 15 | | | 1 | 15 | | | 37 | 2 | | 18 | 3 | 2 | | $2\frac{1}{2}$ |
| 200 | 10 | | | | 50 | | | 25 | | | 12 | 2 | 1 | | $3\frac{1}{2}$ |
| 100 | 5 | | | | 25 | | | 12 | 2 | | 6 | 1 | | | $3\frac{1}{2}$ |
| 90 | 4 | 30 | | | 22 | 2 | | 11 | 1 | | 5 | $2\frac{1}{2}$ | | | $2\frac{1}{2}$ |
| 80 | 4 | | | | 20 | | | 10 | | | 5 | | | | $2\frac{1}{2}$ |
| 70 | 3 | 30 | | | 17 | 2 | | 8 | 3 | | 4 | $1\frac{1}{2}$ | | | $2\frac{1}{2}$ |
| 60 | 3 | | | | 15 | | | 7 | 2 | | 3 | 3 | | | $1\frac{1}{2}$ |
| 50 | 2 | 30 | | | 12 | 2 | | 6 | 1 | | 2 | 2 | | | $1\frac{1}{2}$ |
| 40 | 2 | | | | 10 | | | 5 | | | 1 | $1\frac{1}{2}$ | | | 1 |
| 30 | 1 | 30 | | | 7 | 2 | | 3 | 3 | | 1 | 1 | | | $\frac{1}{2}$ |
| 20 | 1 | | | | 5 | | | 2 | 2 | | 2 | | | | $\frac{1}{2}$ |
| 10 | | 30 | | | 2 | 2 | | 1 | $\frac{1}{2}$ | | | $2\frac{1}{4}$ | | | $\frac{1}{2}$ |
| 9 | | 27 | | | | | | 1 | | | | 2 | | | $\frac{1}{2}$ |
| 8 | | 24 | | | 2 | | | | $3\frac{1}{2}$ | | | $1\frac{1}{4}$ | | | $\frac{1}{2}$ |
| 7 | | 21 | | | 1 | 3 | | | 3 | | | $1\frac{1}{4}$ | | | $\frac{1}{2}$ |
| 6 | | 18 | | | | 2 | | | | $2\frac{1}{2}$ | | $1\frac{1}{4}$ | | | $\frac{1}{2}$ |
| 5 | | 15 | | | | 1 | 1 | | | 2 | | 1 | | | $\frac{1}{2}$ |
| 4 | | 12 | | | | | | 1 | $\frac{1}{2}$ | | | $\frac{1}{2}$ | | | $\frac{1}{2}$ |
| 2 | | 9 | | | | | | 3 | | | | | | | $\frac{1}{2}$ |
| 2 | | 6 | | | | | | 2 | | | 1 | | | | $\frac{1}{2}$ |
| 1 | | 2 | | | | | | 1 | | | | | | | $\frac{1}{2}$ |

Pro uno
Die.

|xr. |d.

| | |
|---|-----------------|
| 8 | 3 $\frac{1}{2}$ |
| 8 | 7 $\frac{1}{2}$ |
| 7 | 7 $\frac{1}{2}$ |

| | |
|---|-----------------|
| 6 | 1 $\frac{1}{2}$ |
| 5 | 1 $\frac{1}{2}$ |
| 4 | 1 $\frac{1}{2}$ |

| | |
|---|-----------------|
| 3 | 2 $\frac{1}{2}$ |
| 2 | 2 $\frac{1}{2}$ |

| | |
|-----------------|-----------------|
| 1 | 3 $\frac{1}{2}$ |
| 3 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 3 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

| | |
|-----------------|--|
| 2 $\frac{1}{2}$ | |
| 2 $\frac{1}{2}$ | |

22
19
3

Wang Strandflocken. Blatt
46 - 82 in toto.

Bagar Litus 750 und 850

Baldo David

Miso Nemetz

Hovat S. senex

Hovat S. invens.

Hova Rajata

Nyusa

Equisetum s Adam

ndrej Kráter

Gabor

Hypoxis

Verko Martin

Hovat S.

Hovat S.

Hovat S.

Hovat S.

Hovat S.

